

- 1) Bula do Papa Calisto III a el-rei D. Afonso V, pela qual concedeu que ele pudesse contratar com os mouros. Roma, 1455, Fevereiro, 26.
- 2) Bula de comissão do Papa Calisto III ao bispo de Ceuta, a respeito do Padroado de São Salvador das Bouças. Roma, 1455.
- 3) Bula do Papa Pio II, na qual proíbe aos bispos que convertessem os mosteiros em igrejas seculares. Roma, 1460, Dezembro, 27.
- 4) Bula do Papa Pio II de anexação de certas igrejas ao mosteiro da Batalha. Roma, 1458, Dezembro, 31.
- 5) Bula do Papa Nicolau V, na qual declarava que os mosteiros de Alcobaça e de Santa Cruz de Coimbra não tinham a graça apostólica. Roma, 1452, Junho, 15.

---

<sup>(1)</sup> *Dada a deterioração quase total deste manuscrito, tivemos de utilizar a cópia existente na Reforma das Gavetas.*

- 6) Bula do Papa Nicolau V, pela qual dava licença a el-rei D. Afonso V e à rainha, sua mulher, que pudessem ouvir em seus paços os ofícios divinos. Roma, 1452, Junho, 19.
- 7) Bula do Papa Nicolau V, *Ad Perpetuam Rei Memoriam*, pela qual concedeu ao prior do mosteiro de Santa Cruz de Coimbra que pudesse visitar os mosteiros de Santo Agostinho. Roma, 1452, Junho, 28.
- 8) Breve do Papa Nicolau V a el-rei D. Afonso V, pelo qual concedeu que no lugar onde ele ou a rainha estivessem nunca pudesse ser interditado. Roma, 1452, Junho, 19.
- 9) Breve do Papa Nicolau V para que o bispo de Ceuta se informasse quais as igrejas que el-rei D. Afonso V queria anexar à fábrica do mosteiro da Batalha. Roma, 1452, Junho, 16.
- 10) Bula do Papa Nicolau V, na qual absolia el-rei D. Afonso V das dízimas dadas sem licença apostólica. Roma, 1452, Junho, 19.
- 11) Bula do Papa Nicolau V pela qual concedeu a el-rei D. Afonso V que os mosteiros e igrejas que tinham recebido as dízimas dos pauis mandados cultivar pelo infante D. Pedro continuassem a cobrá-las enquanto el-rei vivesse. Roma, 1452, Junho, 17.
- 12) Bula do Papa Nicolau V, passada a instância dos bispos e cónegos de Ceuta, pela qual anexou ao bispado de Ceuta, setecentas libras turonenses, dos frutos das igrejas de Olivença e de Tui. Roma, 1452, Junho, 27.
- 13) Bula do Papa Nicolau V, passada a pedido de el-rei D. Afonso V, pela qual ordenava que os mosteiros do hábito de Santo Agostinho, São Bento e São Bernardo e ainda outros, nunca se pudessem dar em comendas. Roma, 1452, Julho, 6.
- 14) Bula do Papa Nicolau V a el-rei D. Afonso V e à rainha D. Isabel para que pudessem eleger confessor. Roma, 1452, Julho, 19.
- 15) Breve do Papa Nicolau V a el-rei D. Afonso V e à rainha D. Isabel para que eles pudessem trazer altar portátil. Roma, 1452, Junho, 19.
- 16) Bula do Papa Nicolau V, *Ad Perpetuam Rei Memoriam*, pela qual concedia a el-rei D. Afonso V que pudesse apropiar a dízima das terras e pauis que ele abrisse às igrejas e mosteiros que ele quisesse. Roma, 1452, Junho, 17. — *Pergaminho. 16 folhas. Bom estado.*

1)

*Calistus episcopus servus servorum Dei.*

*Carissimo in Christo filio Alfonso Portugalie et Algarbi regi illustri salutem et apostolicam benedictionem.*

*Dum in nostre mentis archana revolvimus ac diligentie consideratione pensamus operoso sollicitudinis studia continuatosque labores pro divini nominis gloria exaltatione catholice fidei per predecesores tuos ac te*

indefesse et in desinenter impensos ut ea negare que tibi ac successoribus tuis concedenda depositis minime valeamus presertim dum cause rationales persuadent et id in domino conspicimus salubriter expedire.

*Dudum* siquidem felicis recordationis Eugenio Papae iij<sup>o</sup> predecessori nostro pro parte recolende memorie Eduardi Portugalie et Algarbii regis genitoris tui exposito quod ipse locum de Cepta quem clare memorie Johannes olim rex dictorum regnorum dicti Eduardi genitor de infidelium sarracenorum et agarenorum manibus ante redimerat tunc tenebat et quod ad aliarum terrarum et locorum que sarraceni et infideles ipsi tiramnide tenebant occupata acquisitionem et fidei christiane exaltationem animum et intentum plurimum gerebat quodque predicti Eduardi regis intentus prosecutione oportunum erat ut ipse et ab eo deputande persone cum eisdem infidelibus et sarracenis negotiarentur prefatus Eugenius predecessor ipsius Eduardi regis in ea parte supplicationibus inclinatus sibi quod ipse et singule quibus id committendum duceret persone cum quibusvis sarracenis et infidelibus de quibusunque rebus et bonis ac vidualibus emptiones et venditiones prout congrueret facere necnon merces quascunque ad ipsorum sarracenorum et infidelium loca dummodo ferramenta lignamina funes seu aliquarum armaturarum genera non essent deferre et eas dictis sarracenis et infidelibus vendere necnon omnia alia et singula in premissis et circa ea oportuna vel necessaria facere gerere et exercere valeret per suas litteras apostolica auctoritate indulxit prout in illis quarum tenorem presentibus haberi volumus pro sufficienter et expresso plenius continetur.

*Cum* autem sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat tibi qui civitatem Ceptensem predictam ante fauces dictorum infidelium tenes animum tuum ad acquisitionem et exaltationem predictas non minus inclinatum habeas quam habuerint avus et progenitor antedicti pro parte tua nobis fuit humilliter supplicatum ut tibi ac successoribus tuis pro tempore dictorum regnorum regibus existentibus et ab eis ad id deputandis seu quibus id duxerint pro tempore committendum personis quibusunque cum quibusvis sarracenis et infidelibus de quibusunque rebus et bonis ac vidualibus emptiones et venditiones faciendi licentiam concedere aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

*Nos* igitur prefati Eugenii predecessoris vestigiis inherendo tuis supplicationibus inclinati tibi tuisque successoribus dictorum regnorum regibus pro tempore existentibus ac ab eis ad id deputandis seu quibus id duxeris aut successores tui duxerint committendum personis quibusunque ut cum quibusvis sarracenis et infidelibus de quibusunque rebus et bonis ac vidualibus emptiones et venditiones facere necnon quoscunque contractus inire transigi pacisci mercari et negotiari ac merces quascunque ad ipsum sarracenorum et infidelium loca dummodo ferramenta lignamina funes seu aliquarum armaturarum genera non sint deferre et ea dictis sarracenis et infidelibus vendere ac omnia alia

et singula in premissis et circa ea necessaria vel oportuna facere gerere et exercere absque alicuius spiritualis vel temporalis pene incursu possis et valeas ipsique successores tui et deputande persone hujusmodi possint et valeant auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gratia concedimus pariter et indulgemus.

*Non obstantibus prohibitionibus ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam cum excommunicationum et quarumcunque allarum sententiarum censurarum et penarum adjectionibus munitionibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum concessionis et indulti infringere vel ei ausu temerario contraire.*

*Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotens Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.*

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quadragesimo quinto quarto Kalendas Martii pontificatus nostri anno primo <sup>(1)</sup>.

(A. E.)

2)

*Calistus* episcopus servus servorum Dei.

Venerabili fratri episcopo Ceptensi salutem et apostolicam benedictionem.

Tunc recte officium nobis licet immeritis divina dispositione commissum exercere censemus dum absque personarum exceptione unicuique jus suum illesum preservari et ea que per sententiam terminata sunt ne in recidive contemptionis scrupulum relabantur confirmari volumus ac mandamus.

Sane pro parte carissimi in Christo filii nostri Alfonsi Portugalie et Algarbii regis illustris nobis nuper exhibita petitio continebat quod postquam ipse litigando contra quondam Valascum Fernandi Coutinho comitem de Marialva super jure patronatus parochialis ecclesie Sancti Salvatoris de Bouças Portugalensis diocesis prefato regi spectanti unam pro se et contra eundem comitem diffinitivam sententiam in partibus reportaverat comite prefato viam universe carnis ingresso dilectus filius nobilis vir Gundissalvus Coutinho ejus natus et comes de Marialva ad ipsam parochialem ecclesiam tunc per promotionem bone memorie Ludovici olim episcopi Visensis ad ecclesiam Visensem tunc pastore carentem apostolica auctoritate factam ac munus consecrationis eidem episcopo auctoritate prefata impensum vacantem licet idem episcopus illam unacum predicta Visensi primo et deinde upacum Colimbriensi ad quam eadem auctoritate translatus extitit ecclesiis in commendam tenuer-

<sup>(1)</sup> Esta bula foi copiada do original in «Bulas, m.<sup>o</sup> 5, n.<sup>o</sup> 1».

rit et possederit post obitum dicti episcopi quendam clericum cuius nomen et cognomen presentibus haberi volumus pro expressis presentavit qui clericus presentationis et desuper subesecute ordinarie institutionis pretextu possessionem ipsius ecclesie apprehendens illam extunc per tres annos vel circa contra voluntatem et consensum dicti regis tenuit et possedit prout tenet et possidet de presenti in prejudicium juris patronatus regis memorati.

*Quare pro parte dicti regis nobis fuit humiliter supplicatum ut sibi in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur.*

*Nos itaque de premissis certam notitiam non habentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis vocandis de premissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii sola facti veritate inspecta auctoritate nostra te diligenter informes et si per informationem hujusmodi tibi de sententia et aliis premissis legitime constiterit ac jus patronatus hujusmodi ad prefatum regem suosque successores justitia mediante spectasse et pertinuisse ac spectare et pertinere reppereris etiam si ipse clericus vel alius novam provisionem vel confirmationem cum supplicatione defectuum a sede apostolica obtinuissest sententiam predictam per te vel alium seu alias auctoritate nostra approbes et confirmes supplexque omnes defectus siqui forsan intervenerint in eadem.*

*Et nichilominus si sonfirmationem approbationem et supplicationem hujusmodi per te vigore presentium fieri contigerit amoto dicto clero et quolibet alio detentore ab eadem jus patronatus ac presentandi personam idoneam ad ipsam parochialem ecclesiam sic vacantem et quotiens illam in futurum vacare contigerit ad regem et successores predictos spectasse et pertinuisse ac perpetuo spectare et pertinere predicta auctoritate decernas ac premissa omnia et singula per unicam sententiam a qua non liceat appellare eadem auctoritate facias et exequaris contradictores per censuram ecclesiasticam et alia juris remedia appellatione postposita compescendo.*

*Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque aut si clero predicto vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indulsum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de induito hujusmodi mentionem.*

*Nos enim omnes et singulas appellationes ab executione presentium sive a sententia predicta forsan interponendas irritas et inanes necnon per quascunque provisiones de dicta parochiali ecclesia ac concessiones derogationes decreta et declaraciones super illa in prejudicium juris prefati regis tam per felicis recordationis Nicolaum Papam .v. predecessorem nostrum quam alias per sedem predictam forsan factas nullius roboris vel momenti fuisse et esse decernimus per presentes.*

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto pontificatus nostri anno primo <sup>(1)</sup>.

(A. E.)

(12)

*Nicolaus* episcopus servus servorum Dei.

Venerabili fratri episcopo Elborensi salutem et apostolicam benedictionem.

*Etsi* de singulis orbis ecclesiis quibus nos pretulit apostolice preeminentia dignitatis illarumque prelatis et personis ut ipsorum dignitatis et status compensata decentia debite respondeant facultates assiduis tenemur cogitare studiis ad ipsas tamen ecclesias quas in inimicorum Christi nominis faucibus constitutas temporalium rerum premit inopia eo propensius convertere debemus sollicitudinis nostre curam ut illis presidentium allarumque personarum suarum necessitatibus oportune provideatur quo si ipsarum egestas eos ecclesias ipsas urget deserere majora inde pericula et dispidia evenire formidantur.

*Dudum* siquidem per felicis recordationis Eugenium Papam iij predecessorem nostrum accepto quod licet olim dum civitas Ceptensis per inclite memorie Johannem Portugalie et Algarbii regem illustrem altissimo disponente ab infidelium saracenorum christiani nominis inimicorum per quos occupata detinebatur potestate armata manu erupta fuerat in illa apostolice sedis auctoritate sub vocabulo beatissime Dei genitricis ecclesia pontificali honore adornata cum altaribus ac juribus et insigniis cathedralibus institutis in ea canonicatibus et prebendis dignitatibus personatibus administrationibus officiis et aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura primaria vice et quotiens illa vacare exinde contingere idoneis que in ecclesia et super altaribus predictis missas et alia divina officia perpetuis futuris temporibus celebrarent personis conferendis erecta fuisse. *Tamen* episcopus Ceptensis pro tempore ac dilecti filii canonici et persone dicte ecclesie pro eo quod diocesis Ceptensis pro maxima parte eisdem subdita dinoscebatur sarracenis et ipsa ecclesia Ceptensis alias congrua dote carebat nullatenus haberent unde sustentari et alia eis incumbentia onera valerent supportare minime residerunt nec residerent propter quod divinus cultus ibidem negligeretur in non modicum obprobrium religionis christiane.

*Idem* predecessor provide considerans quod certe partes Pacensis et Tudensis diocesis infra Portugalie et Algarbii regnorum limites consistentes per speciales in temporalibus et spiritualibus per dictam sedem deputatos administratores portugalenses ex dispositione ipsius sedis a

<sup>(1)</sup> Esta bula foi trasladada do original in «Bulas, m.<sup>o</sup> 10, n.<sup>o</sup> 23».

nonnullis retroactis temporibus recte et gubernate fuerunt tuncque regebantur et gubernabantur ac quod sub suorum episcoporum regiminibus verisimiliter pervenire non deberent quodque episcopus canonici et persone predicti decentius vivere et commodius eadem onera supportare possent si dictae partes ab ipsis Pacensi et Tudensi ecclesiis in regnis Castelle et Legionis constitue dimembrate prefate ecclesie Ceptensis cum omnibus juribus et pertinentiis suis ad dictas Pacensem et Tudensem ecclesias pertinentibus eidem Ceptensi ecclesie imperpetuum incorporarent annexterentur et unirentur ac volens necessitatibus et indigentibus episcopi capituli canonicorum et personarum predictorum necnon saluti animarum illorum qui ipsam civitatem Ceptensem inhabitant consulere auctoritate apostolica ex certa scientia et de apostolice potestatis plenitudine partes prefatas in regno Portugalie existentes quarum fructus redditus et proventus septingentarum librarum turonensium parvorum secundum communem extimationem valorem annum ut idem predecessor etiam accepérat non excedebant cum omnibus juribus et pertinentiis supradictis a Pacensi et Tudensi ecclesiis prefatis dimembravit segregavit et separavit easque pro diocesi ac ipsarum fructus redditus et proventus pro dote eidem Ceptensi ecclesie deputavit et assignavit ita quod cedentibus vel decedentibus tunc existentibus dictarum partium administratoribus sive partes illas quomodolibet alias dimittentibus simul vel successives liceret episcopo prefato per se vel alium seu alios corporalem possessionem partium et illarum jurium et pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere ipsasque partes in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare ac ab eis fructus redditus et proventus percipere et levare ac in suos et dictae ecclesie Ceptensi usus juxta modum et forma subscriptos convertere et perpetuo retinere Pacensis et Tudensis episcoporum ac cuiusvis alterius licentia aut consensu super hoc minime requisitis statuens etiam et decernens extunc in antea perpetuis futuris temporibus dictas partes cum prefatis suis juribus et pertinentiis suis sicut ad Pacensem et Tudensem pertinuerunt ad Ceptenses ecclesias predictas pleno jure pertinere et in ipsa Ceptensi ecclesia pro missis et aliis divinis officiis diurnis pariter et nocturnis undecim canonicorum qui in sacerdotio deberent esse constituti et capitulum in simul facerent ac quorum unus decanus qui in illa et extra eam primum locum post episcopum obtineret et capitulo preesset necnon aliis cantor qui specialius respicere teneretur chorum et aliis sacrista qui custodire haberet vestimenta et paramenta atque alia sacro usui deputata ipsis Ceptensis ecclesie et animarum curam omnium in civitate eadem habitantium gereret existerent et quatuor aliorum beneficiatorum duntaxat numerum esse ac de fructibus redditibus et proventibus juribus obventionibus et emolumentis partium predictorum singulis ex undecim canonicis triginta et singulis ex aliis beneficiatis septem cum dimidio florenos auri de camera singulis annis absque ulla difficultate solvendos ministrari ac residuum eorumdem episcopo prefatis remanere necnon

fructus redditus proventus jura obventiones et emolumenta ex quibuscunque aliis quam ex ipsis partibus ad eandem Ceptensem ecclesiam quovismodo spectantibus rebus et bonis pro tempore provenientia pro dicto episcopo et pro alia medietatibus illorum undecim canonicis et quatuor aliis beneficiatis cedere de medietate quoque undecim canonicis et quator aliis beneficiatis cedente hujusmodi singulos ex ipsis canonicis singulas equales ac dictos alios quatuor beneficiatos tantam quantum unus canonicorum eorundem perciperet portiones percipere debere aliis etiam circa ea constitutionibus et ordinationibus et penis adjectis prout in dicti predecessoris inde confectis litteris plenius continetur.

*Postmodum* vero nos qui dicto predecessor sicut altissimo placuit sublato de medio fuimus divina favente clementia ad apicem summi apostulatus assumpti rationalibus suadentibus causis omnes uniones annexiones et incorporationes de quibusvis cathedralibus et aliis ecclesiis invicem vel aliis ecclesiis dignitatibus personatibus officiis beneficiis et locis quomodolibet apostolica vel alia quavis auctoritate factas propter quas illorum intererat sic unitorum possessionem pacificam tunc non obtinebant revocavimus cassavimus et irritavimus nulliusque decrevimus existere firmitatis.

*Et* sicut exhibita nobis nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Alfonsi Portugalie et Algarbii regis illustris petitio continebat cum post revocationem cassationem et irritationem huj[us]modi quondam Petrus Gundissalvi qui alterius predictarum partium dum viveret administrationem auctoritate apostolica gessit fuisse extra romanam curiam vita functus frater noster Johannes episcopus Ceptensis ejusdem partis possessionem litterarum necnon unionis et incorporationis predictarum obtenu apprehendit licet de facto ac illam extunc detinuit illius fructus redditus et proventus in usus premissos alias tamen juxta constitutionem et ordinationem predecessoris hujusmodi convertendo et dilectus filius magister Fernandus Alvari d' Almeida notarius noster dicte alterius partis administrator auctoritate apostolica deputatus omni juri sibi in administratione hujusmodi vel ad eam quomodolibet competenti illius possessione per eum non habita coram quibusdam notario publico et testibus extra predictam curiam sponte et libere cessit.

*Cum* autem sicut eadem petitio subjungebat cause premissae propter quas unio annexio et incorporatio predice de dictis partibus ut premittitur facte fuerunt oportune requirant ut unionis annexionis et incorporationis de dictis partibus factarum hujusmodi succedant effectus et ut per predictum episcopum gesta in eo quo dictam alteram partem cuius possessionem ut premittitur apprehendit concernunt nostre opitulationis ministerio validentur pro parte dicti Alfonsi regis nobis fuit humiliter supplicatum ut providere super hiis salubriter de benignitate apostolica dignaremur.

*Nos* igitur hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus vocatis dicto Fernando et aliis

qui fuerint evocandi si et postquam tibi de cessione hujusmodi legitime constiterit illam si alias rite admissa non fuerit auctoritate nostra hac vice admittas et si premissa per predictum predecessorem accepta reppereris ita esse super quo tuam conscientia oneramus unionem annexionem et incorporationem de dictis partibus factas ac litteras supradictas necnon omnia alia in dictis litteris contenta ac per ipsum predecessorem facta in idem robur eundemque vigorem in quibus ante revocationem cassationem et irritationem predictas extiterant eadem auctoritate restituas et nichilominus partes predictas mense episcopali Ceptensi cuius fructus redditus et proventus centum librarum similium secundum extimationem predictam valorem annum ut asseritur non excedunt sub onere ac modis quibus unio annexio et incorporatio predice de illis facte sunt de novo perpetuo unias incorpores et annexas ita quod liceat dicto episcopo pro tempore existenti alterius nunc administratore parentis ex nunc de novo necnon relique earundem partium quam primum illam etiam administratore carere contigerit possessionem extunc auctoritate propria apprehendere illarumque fructus redditus et proventus in supradictos usus convertere juxta tenorem litterarum predictarum dictorum Pacensis et Tudensis episcoporum et cujuscunque alterius super hoc licentia et consensu minime requisitis.

*Volumus* autem quod si per te restitutionem ac de novo unionem annexionem et incorporationem hujusmodi fieri contigerit omnia et singula per prefatum predecessorem nostrum in prefatis litteris statuta et ordinata firmiter observentur sub penis per eum circa ea adjectis non obstantibus revocatione cassatione et irritatione predictis necnon omnibus que predecessor predictus in dictis litteris non obstare voluit ceterisque contrariis quibuscunque.

*Nos* insuper si restitutionem unionem annexionem et incorporationem hujusmodi de novo per te fieri contigerit ut prefertur exnunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo quinto Kalendas Julii pontificatus nostri anno sexto <sup>(1)</sup>.

(A. E.)